

1230. VII, 18-3 — Bulas da Guiné (*traslados em pública-forma das*) existentes no cartório do Cabiço de Lisboa, passadas por ordem de D. João II. Lisboa, 1488, Abril, 10. — *Pergaminho. 16 folhas. Bom estado.*

In nomine Domini amen.

Sabham os que [o] presente pubrico estormento de transunto reduzido em publica forma dado per autoridade ordinaria virem que no ano do nacimiento de Nosso Senhor Jhesu Christo de mill e iiij^c Lxxxbiij dez dias do mes d'Abril na mui nobre e senpre leall cidade de Lixboa nas casas da morada do muito honrrado prudente e discreto Estevom Gomez conigo na igreja metropolitana e maior da dicta cidade e vigairo jeeral no spiritual e tenporal por o reverendissimo em Christo padre e senhor dom Jorge per merçee de Deus e da santa igreja de Roma do titulo Sanctae

Mariae Transtiberi cardeal dessa meesma e arcebispo de Lixboa seendo hi o dicto vigairo em presença de mim publico notairo apostolico a juso nomeado e das testemunhas adiante escriptas pareceo hi ho honrrado e egregio doctor Vasco Fernandez do conselho e desenbargo do illustrissimo e serenissimo principe dom Joham per mercee de Deus rei de Portugall e dos Algarves daaquem e daalem mar em Africa e senhor de Guínee nosso Senhor e seu sufficiente procurador pera o acto que se ao diante segue segundo a mim notairo constou per hũa carta do dicto nosso senhor rei e apresentou hũa litera apostolica do santo padre Papa Sixto quarto da esclarecida memoria presidente que foi na igreja de Deus escripta em purgaminho e em latim bullada de sua verdadeira bulla de chumbo em pendente per fios de sirgo vermelhos e amarelos segundo custume de Roma integra nom viciada nem cancelada nem raspada mas carecente de todo vicio e sospeição segundo prima facie per ella bem parecia e hũu transunto da dicta litera em linguaem fecto pello dicto doctor per mandado del-rei nosso senhor. *Da* quall litera apostolica em latim e em linguaem os theores de verbo a verbo som hũu empos outro os que se seguem.

Sirtus episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Eterni regis clemencia per quem reges regnant in suprema sedis apostolice specula collocati regum catholicorum omnium sub quorum felici gubernaculo christifideles in justitia et pace fiventur statum et prosperitatem ac quietem et tranquillitatem sinceris desideris appetimus et inter illos pacis dulcedinem vigore ferventer exoptamus ac hiis quae que predecessores nostros romanos pontifices et alios propterea provide facta fuisse comperimus ut firma perpetuo et illibata permaneant et ab omni contentionis scrupulo procul existant apostolice confirmationis robur favorabiliter adhibemus.

Dudum siquidem ad audientiam felicis recordationis Nicolai Pape V predecessoris nostri deducto quod quondam Henricus infans Portugalie carissimi in Christo filii nostri Alfonsi Portugalie et Algarbii regnorum regis illustris patruus inherens vestigiis clare memorie Johannis dictorum regnorum regis ejus genitoris ac zelo salutis animarum et fidei ardore plurimum succensus tanquam catholicus et verus omnium creatoris Christi miles ipsiusque fidei accerrimus ac fortissimus defensor et intrepidus pugll ejusdem creatoris gloriosissimum nomen per universum terrarum orbem etiam in remotissimis ac incognitis locis divulgari extolli et venerari necnon illius ac vivifice qua redempti sumus crucis inimicos perfidos saracenos ac quoscunque alios infideles ad ipsius fidei gremium reduci ab ejus ineunte etate totis viribus aspirans post Ceptensem civitatem in Africa consistentem per dictum Johannem regem ejus subactam dominio et post multa per ipsum infantem nomine tamen dicti regis contra hostes et infideles predictos quandoque etiam in propria persona non etiam

absque maximis laboribus et expensis ac rerum et personarum periculis et jactura plurimorumque naturalium suorum cede gesta bella eis tot tantisque laboribus periculis et damnis non fractus nec territus sed hujusmodi laudabilis et pii propositi sui prosecutionem in dies magis atque magis exardescens in Oceano mari quasdam solitarias insulas fidelibus populaverat ac fundari et construi inibi fecerat ecclesias et alia loca pia in quibus divina celebrantur officia ex dicti quoque infantis laudabili opera et industria quam plures diversarum in dicto mari existentium insularum incole seu habitatores ad veri Dei cognitionem venientes sacrum baptismum susceperant ad ipsius Dei laudem et gloriam ac plurimorum animarum salutem orthodoxe quoque fidei propagationem divini cultus augmentum. *Preterea* cum olim ad ipsius infantis pervenisset notitiam quod nunquam vel saltem a memoria hominum non consuevisset per hujusmodi oceanum mare versus meridionalem et orientalem plagas navigari illudque nobis occidius adeo foret incognitum ut nullam de partium illarum gentibus certam notitiam haberet credens se maximum in hoc Deo prestare obsequium si ejus opera et industria mare ipsum usque ad indos qui Christi nomen colere dicuntur navigabile fieret sicque cum eis participare et illos in christianorum auxilium adversus saracenos et alios hujusmodi fidei hostes commovere posset ac nonnullos gentiles seu paganos nephandissimi machometi secta minime infectos populos inibi medio existentes continuo debellare eisque incognitum Christi sacratissimi nomen praedicare ac facere predicari regia semper auctoritate munitus a viginti quinque annis extunc exercitum dictorum ex regnorum gentibus maximis cum laboribus periculis et expensis in velocissimis navibus caravelis nuncupatis ad perquirendum mare et provincias maritimas versus meridionales partes et Polum Antarticum annis singulis fere mittere non cessaverat sicque factum fuit ut cum naves hujusmodi quamplures portus insulas et maria perlustrassent et occupassent et ad Guineam provinciam tandem pervenissent occupatisque nonnullis insulis portibus et mari eidem provincie adjacentibus ulterius navigantes ad hostium cujusdam magni fluminis Nili communiter reputari pervenissent et contra illarum partium populos nomine ipsorum Alfonsi regis et infantis per aliquos annos guerra habita extiterat et in illa quamplures inibi vicine insule debellate et pacifice possesse fuissent prout adhuc tunc cum adjacenti possidebantur exinde quoque multi Guinei et alii nigri vi capti quidam etiam non prohibitarum rerum permutatione seu alio legitimo contractu emptionis addita erant regna transmissi quorum inibi in copioso numero ad catholicam fidem conversi extiterant sperabaturque divina favente clementia quod si hujusmodi cum eis continuaretur progressus vel populi ipsi ad fidem converterentur vel saltem multorum ex eis anime Christo lucrifierent et per eundem predecessorem accepto quod licet rex et infans prefati qui cum tot et tantis periculis laboribus et expensis necnon perditione tot naturalium regnorum hujusmodi quorum inibi

quamplures perierant ipsorum naturalium duntaxat freti auxilio provincias illas perlustrari fecerant ac portus insulas et maria hujusmodi acquisiverant et possederant ut prefertur ut illorum veri Domini timentes tunc aliqui cupiditate ducti ad partes alias navigassent et operis hujusmodi perfectionem fructum et laudem sibi usurpare vel saltem impedire.

Cupientes propterea lucri commodo aut malicia ferrum arma lignamina aliasque res et bona ad infideles deferri prohibita portassent vel transmisissent aut ipsos infideles navigandi modum edocerent propter que eis hostes fortiores ac duriores fierent et hujusmodi prosecutio vel impediretur vel penitus forsitan cessaret non absque Dei magna offensa et ingenti totius christianitatis obprobrio ad obviandum premissis ac pro suorum juris et possessionis conservatione sub certis tunc expressis gravissimis penis prohibuerant et generaliter statuerant quod nullus nisi cum suis nautis et navibus et certi tributi solutione obtentaque prius desuper expressa ab eodem rege vel infante licentia ad dictas provincias navigare aut in earum portibus contractare seu in mari piscari presumeret tamen successu temporis evenire potuisset quod aliorum regnorum seu nationum persone invidia malitia et tributi solutione hujusmodi ad dictas provincias accedere et in sic acquisitis provinciis portibus insulis ac mari navigare contractare et piscari presumerent et exinde inter Alfonsum regem et infantem qui nullatenus se in hiis sic deludi paterentur et presumentes predictos quamplura odia rancores dissensiones guerre et scandala in maximam Dei offensam et animarum periculum verisimiliter subsequi potuissent et subsequerentur idem predecessor premissa omnia et singula debita meditatione pensans et attendens quod cum olim prefato Alfonso regi quoscunque saracenos et paganos aliosque Christi inimicos ubicunque constitutos ac regna ducatus principatus dominia possessiones et mobilia ac immobilia bona quecunque detenta ac concessa invadendi conquerendi expugnandi debellandi et subjugandi illorumque personas in perpetuam servitutem redigendi ac regna ducatus comitatus principatus dominia possessiones et bona sibi et successoribus suis applicandi appropriandi ac in suos successorumque usus et utilitatem convertendi aliisque suis litteris plenam et liberam inter cetera concesserit facultatem dicte facultatis obtentu idem Alfonsus rex seu ejus auctoritate predictus infans juste et legitime insulas terras portus et maria hujusmodi acquisiverat et possederat et possidebat illaque ad eundem Alfonsum regem et ipsius successores de jure spectabant et pertinebant nec qui eis alius etiam christifidelis absque ipsorum Alfonsi regis et successorum suorum licentia spetiali de illis se eatenus intromittere licite poterat quoquomodo ut ipse Alfonsus rex ejusque successores et infans eo ferventius huic tam plissimo preclaro et omni evo memoratu dignissimo operi in quo cum in illo animarum salus fidei augmentum et illius hostium depressio procurarentur Dei ipsiusque fidei ac rei publice universalis ecclesie rem agi conspiciens insistere valerent et insisterent quo sublati quibusvis dispendiis amplio-

ribus se per eundem predecessorem et sedem apostolicam favoribus et gratiis munitos fore conspicerent de premissis omnibus et singulis plenissime informati motu proprio maturaque prius desuper deliberatione prehabita auctoritate apostolica et ex certa scientia de apostolice potestatis plenitudine litteras facultatis prefatas quarum tenores de verbo ad verbum haberi voluit pro insertis cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis ad Ceptensem et predicta ac quecumque alia ante dactam dictarum facultatis litterarum acquisita et ad ea que imposterum nomine dictorum Alfonsi regis suorumque successorum et infantis in ipsis ac illis circumvicinis et ulterioribus ac remotioribus partibus de infidelium seu paganorum manibus acquiri poterant provincias insulas portus et maria quecumque extendi et illa sub eisdem facultatis litteris comprehendendi ipsarumque facultatis et dictarum litterarum vigore iam acquisita et que in futurum acquiri contingeret postquam acquisita forent ad prefatos regem et successores ac infantem ipsamque conquestam quam a capitibus de Bojador [et] de Nam usque per totam Guineam et ultra versus illam meridionalem plagam extendi declaravimus etiam ad ipsos Alfonso regem et successores suos et infantem et non ad aliquos alios spectasse et pertinuisse ac imperpetuum spectare et pertinere debere necnon Alfonso regem et successores ac infantem predictos in illis et circa ea quecumque prohibitiones statuta et mandata etiam penalia et cum cujusvis tributi impositione facere ac de ipsis ut de rebus propriis et aliis ipsorum dominiis disponere et ordinare potuisse ac tunc et infuturum posse libere et licite decrevit et declaravit ac propotioris juris et cautele suffragio iam acquisita et que imposterum acquiri contingeret provincias insulas portus loca et maria quecumque quotcunque et qualiacunque forent ipsamque conquestam a capitibus de Bojador et de Nam predictis Alfonso regi et successoribus suis regibus dictorum regnorum ac infanti prefatis perpetuo donavit concessit et appropriavit.

Preterea cum ad perficiendum opus huiusmodi multipliciter esset oportunum quod Alfonsus rex et successores ac infans predicti necnon persone quibus hoc ducerent seu aliquis eorum duceret committendum illius dicto Johanni regi per felicis recordationis Martinum v. et alterius indultorum etiam inclite memorie Eduardo eorundem regnorum regi ejusdem Alfonsi regis genitori per pie memorie Eugenium iiij romanos pontifices predecessores nostros concessorum versus dictas partes cum quibusvis saracenis et infidelibus de quibuscunque rebus et bonis ac victualibus emptiones et venditiones prout congrueret facere necnon quoscunque contractus inire transigere pacisci mercari et negotiari et merces quascunque ad ipsorum saracenorum et infidelium loca dummodo ferramenta lignamina funes naves seu armaturarum genera non essent deferre et ea dictis sarracenis et infidelibus vendere omnia quoque alia et singula in premissis et circa ea oportuna vel necessaria facere gerere vel exercere ipsique Alfonsus rex successores et infans in jam acquisitis

et per eum acquirendis provinciis insulis et locis quascunque ecclesias monasteria et alia pia loca fundare ac fundari et construi necnon quascunque voluntarias personas ecclesiasticas seculares et quorumvis etiam Mendicantium Ordinum regulares de superiorum tamen suorum licentia ad illa transmittere ipseque persone inibi etiam quoadviverent commorari ac quorumcunque in dictis partibus existentium vel accedentium confessiones audire illisque auditis in omnibus preterquam sedi predictae reservatis casibus debitam absolutionem impendere ac penitentiam salutarem injungere. *Necnon* ecclesiastica sacramenta ministrare valerent libere et licite decrevit ipsisque Alfonso et successoribus suis regibus Portugalie qui essent imposterum et infanti prefato concessit et indulgit ac universos et singulos christifideles ecclesiasticos seculares et ordinum quorumcunque regulares ubilibet per orbem constitutos cujuscunque status gradus ordinis conditionis vel preeminentie forent etiamsi archiepiscopali episcopali imperiali regali reginali ducali seu alia quacunque majori ecclesiastica vel mundana dignitate prefulgerent obsecravit in Domino et per aspersionem sanguinis Domini Nostri Jhesu Christi cujus ut premittitur res agebatur exortatus fuit eisque in remissionem suorum peccaminum injunxit necnon perpetuo prohibitionis edicto districtius inhibuit ne ad acquisita seu possessa nomine Alfonsi regis aut in conquesta hujusmodi consistentia provincias insulas portus maria et loca quecunque seu alias ipsis saracenis infidelibus vel paganis arma ferrum lignamina aliaque de jure saracenis deferri prohibita quoquomodo vel etiam absque specialii ipsius Alfonsi regis et successorum suorum et infantis licentia merces et alia a jure premissa deferre aut in illis piscari seu de provinciis insulis portibus maribus et locis seu aliquibus eorum aut de conquesta hujusmodi se intromittere vel aliquid per quod Alfonsus rex et successores sui per infans predicti quominus acquisita et possessa pacifice possiderent et conquestam hujusmodi prosequerentur et facerent per se vel alium seu alios directe vel indirecte opere vel consilio facere aut impedire quoquomodo presumerent qui vero contrarium faceret ultra penas contra deferentes arma et alia prohibita saracenis quibuscunque a jure promulgatas quas illos incurrere voluit ipso facto si persone forent singulares excommunicationis sententiam incurrerent. Si communitas vel universitas civitatis castri ville seu loci ipsa civitas castrum villa seu locus ecclesiastico interdicto subjaceret eo ipso nec contrafacientes ipsi vel aliqui eorum ab excommunicationis sententia absolverentur nec interdicti hujusmodi relationem apostolica vel alia quavis auctoritate obtinere possent nisi ipsis Alfonso et successoribus suis ac infanti prius pro premissis congrue satisfecissent aut desuper amicabiliter concordassent cum eisdem prefatus predecessor venerabilibus fratribus archiepiscopo Ulixbonensi et Silvensi ac Ceptensi episcopis suis litteris dedit in mandatis quatinus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios quotiens pro parte Alfonsi regis et illius successorum ac infantis predictorum vel alicujus eorum

desuper forent requisiti vel aliquis ipsorum foret requisitus illos quos excommunicationis et interdicti sententias huiusmodi incurrisse constaret tandiu dominicis aliisque festivis diebus in ecclesiis dum major inibi populi multitudo convenerit ad divina excommunicatos et interdictos aliisque penis predictis innodatos fuisse et esse auctoritate apostolica declararent et denuntiarent necnon ab aliis nuntiari et ab omnibus arctius evitari facerent donec pro premissis satisfecissent seu concordassent ut prefertur.

Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque ceterum ne dicte littere que de certa scientia et matura desuper deliberatione prehabita ab eodem predecessore emanarunt ut prefertur de surreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio a quoquam imposterum valerent impugnari voluit et auctoritate scientia ac potestate predictis decrevit pariter et declaravit quod dicte littere et in eis contenta de surreptionis obreptionis vel nullitatis etiam ex ordinarie vel alterius cujuscunque potestatis aut quovis alio defectu impugnari illarumque effectus retardari vel impediri nullatenus possent sed imperpetuum valerent et plenam obtinerent roboris firmitatem irritum quoque esset et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari.

Et deinde pro parte Alfonsi regis et Henrici infantis predictorum pie memorie Calixto Pape iij etiam predecessori nostro exposito quod ipsi supra modum affectabant quod spiritualitas in eisdem solitariis insulis terris portubus et locis in mari oceano versus meridiionalem plagam in Guinea consistentibus quas idem infans de manibus saracenorum manu armata extraxerat et christiane religioni ut prefertur conquisiverat Militie Jhesu Christi cujus reddituum suffragio idem infans huiusmodi conquestam fecisse perhibebatur per sedem apostolicam perpetuo concederetur ac declaratio constitutio donatio concessio appropriatio decretum obsecratio exhortatio injunctio inhibitio mandatum et voluntas necnon littere Nicolai predecessoris prefati ac omnia et singula in eis contenta confirmarentur.

Idem Calixtus predecessor attendens religionem dicte militie in eisdem insulis terris et locis fructus afferre posse in domino salutare huiusmodi supplicationibus inclinatus declarationem constitutionem donationem appropriationem decretum obsecrationem exhortationem injunctionem inhibitionem mandatum voluntatem litteras et contenta huiusmodi et indesecuta quecunque rata et grata habens illa omnia et singula auctoritate apostolica et ex simili scientia confirmavit et abprobavit ac robore perpetue firmitatis subsistere decrevit supplens omnes et singulos defectus si qui forsitan intervenissent in eisdem.

Et nichilominus auctoritate et scientia predictis perpetuo decrevit statuit et ordinavit quod spiritualitas et omnimoda jurisdictio ordinaria

dominium et potestas in spiritualibus duntaxat in insulis villis portubus terris et locis a capitibus de Bojador et de Nam usque per totam Guineam et ultra illam meridiionalem plagam usque ad indos acquisitis et acquirendis quorum situs numerum qualitates vocabula designationes confines et loca suis litteris pro expressis haberi voluit ad militiam et ordinem hujusmodi perpetuis futuris temporibus spectarent atque pertinerent illaque eis extunc concessit et largitus fuit itaquod prior major pro tempore existens ordinis dicte militie omnia et singula beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura secularia et ordinum quorumcunque regularia in insulis terris et locis predictis fundata et instituta seu fundanda et instituenda cujuscunque qualitatatis et valoris existerent seu forent quotiens illa in futurum vacare contingeret conferre et de illis providere necnon excommunicationis suspensionis privationis et interdicti aliasque ecclesiasticas sententias censuras et penas quotiens opus foret ac rerum et negotiorum pro tempore ingruentium qualitas id exigeret proferre omniaque alia et singula in quibus locorum ordinarii spiritualitatem habere censerentur de jure vel consuetudine facere disponere et exequi potuerant et consueverant pariformiter absque illa differentia facere disponere ordinare et exequi posset et deberet super quibus omnibus et singulis ei plenam et liberam concessit facultatem decernens insulas terras et loca acquisita et acquirenda hujusmodi nullius diocesis existere ac irritum et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari.

Postmodum vero cum inter prefatum Alfonsum regem et carissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Castelle et Legionis regem illustrem eorumque subditos humani generis hostis causante versutia guerre aliquandiu viguissent tandem divina operante clementia ad pacem et concordiam devenerunt et pro pace inter ipsos firmanda et stabillenda nonnulla capitula inter se fecerunt inter que unum capitulum fore dinoscitur hujusmodi tenoris.

Item. Voluerunt prefati rex et regina Castelle Aragonie et Sicilie et illis placuit ut ista pax sit firma et stabilis ac semper duratura promiserunt exnunc et infuturum quod nec per se nec per alium secrete seu publice nec per suos heredes et successores turbabunt molestabunt nec inquietabunt de facto vel de jure in judicio vel extra judicium dictos dominos regem et principem Portugalie nec reges qui infuturum in dicto regno Portugalie regnabunt nec sua regna super possessione et quasi possessione in qua sunt in omnibus commerciis terris et permutationibus sive resignatis Guinee cum suis mineris seu aurifodinis et quibuscunque aliis insulis littoribus seu costis maris terris detectis seu detegendis inventis et inveniendis insulis de la Madera de Portu Sancto et insula Deserta et omnibus insulis dictis de los Açores id est Ancipitrum et insulis Florum et etiam insulis de Cabo Verde id est Picomontorio viridi et insulis quas nunc invenit et quibuscunque insulis que deinceps invenientur aut

acquirentur ab insulis de Canaria ultra et citra et in conspectu Guinee itaque quicquid est inventum vel inveniatur et acquireretur ultra in dictis terminis id quod est inventum et detectum remaneat dictis regi et principi de Portugalia et suis regnis exceptis duntaxat insulis de Canaria Lanzarore (*sic*) Lapalma Forteventura La Gomera Ho Fierro Ha Gratiosa Ha Gran Canaria Tanarife et omnibus aliis insulis de Canaria acquisitis aut acquirendis que remanent regnis Castelle et ita non turbabunt nec molestabunt nec inquietabunt quascunque personas que dicta mercimonia et contractus Guinee nec dictas terras et littora aut costas inventas et inveniendas nomine aut potentia et manu dictorum dominorum regis et principis Portugalie vel suorum successorum tractabunt negotiabuntur vel acquirant quocunque titulo modo vel manerie quod sit aut esse possit immo per istam presentem promittunt et assecurant bona fide sine dolo malo dictis dominis regi et principi Portugalie et successoribus suis quod non mittent per se nec per alios nec consentient immo defendent quod sine licentia dictorum dominorum regis et principis Portugalie non vadant ad negotiandum dicta comertia et tractus nec in insulis terris Guinee inventis vel inveniendis gentes suas naturales vel subditos in quocunque loco et in quocunque tempore et in quocunque casu opinato vel inopinato nec quascunque alias gentes exterarum que morarentur in suis regnis et dominiis vel in suis portibus armarent vel caperent victualia et necessaria ad navigandum nec dabunt illis aliquam occasionem favorem locum auxilium nec assensum directe vel indirecte nec permittant armari nec onerari ad eundem illuc aliquo modo. Etsi aliqui ex naturalibus vel subditis regnorum Castelle vel extranei quicunque sin irent ad tractandum impediendum damnificandum depredandum acquirendum in dicta Guinea et in dictis locis mercimoniorum et permutationum et minerarum seu auriferarum et terris et insulis que sunt invente et infuturum inveniende sine licentia et expresse consensu dictorum dominorum regis et principis Portugalie vel suorum successorum quod tales sint puniendi eo modo loco et forma quod ordinatum est per dictum capitulum istius nove reformationis tractatus pacis que servabuntur et debent servari in rebus maritimis contra eos qui descendunt in littora sive et portus ad depredandum damnificandum vel ad male agendum vel in mari medio dictas res faciant preterea rex et regina Castelle et Legionis promiserunt et concesserunt modo supradicto pro se et suis successoribus ut se non intromittant ad inquirendum et intendendum aliquo modo in conquesta regni de Fez sicuti se non intromiserunt reges antecessores sui preteriti Castelle immo libenter dicti domini rex et princeps Portugalie et sua regna et sui successores poterunt prosequi dictam conquestam et eam defendant quomodo illis placuerit et promiserunt et consenserunt in omnibus dicti domini rex et regina Castelle nec per se nec per alios nec in iudicio nec extrajudicium nec de facto nec de jure non movebunt super premissis nec in parte nec super re que ad illud pertineat litem dubium questionem

nec aliquam contemptionem immo totum preservabunt complebunt integre et faciant observari et compleri sine aliquo defectu et ne imposterum possit allegari ignorancia de vetatione et penis dictarum rerum contractarum dicti domini miserunt illico iustitiis et officialibus portuum dictorum suorum regnorum ut totum quod dictum est servant compleant et fideliter exequantur et mittant ad preconizandum et publicandum in sua Curia et in dictis portibus maris eorum supradictorum regnorum et dominiorum ut id perveniat ad eorum notitiam.

Nos igitur quibus cura universalis dominici gregis celitus est commissa quique ut tenemur inter principes et populos christianos pacis et quietis suavitatem vigere et perpetuo durare desideramus cupientes ut littere Nicolai et Calixti predecessorum huiusmodi ac preinsertum capitulum necnon omnia et singula in eis contenta ad divini nominis laudem ac principum et populorum singulorum regnorum predictorum perpetuam pacem firma perpetuo et illibata permaneant motu proprio non ad alicujus nobis super hoc oblate petitionis instantiam sed de nostra mera liberalitate ac providentia et ex certa scientia necnon de apostolice potestatis plenitudine litteras Nicolai et Calixti predecessorum huiusmodi ac capitulum predicta rata et grata habentes illa necnon omnia et singula in eisdem contenta auctoritate apostolica tenore presentium approbamus et confirmamus ac presentis scripti patrocinio communimus decernentes illa omnia et singula plenum firmitatis robur obtinere ac perpetuo observari debere.

Et nichilominus venerabilibus fratribus Elborensis et Silvensis ac Portugalensis episcopis per apostolica scripta motu et scientia similibus mandamus quatinus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios singulas litteras ac capitulum predicta ubi et quando opus fuerit solemniter publicantes ac eisdem regi et principi Portugalie eorumque successoribus in omnibus et singulis premissis efficacis defensionis presidio assistentes non permittant eosdem regem et principem et successores contra premissa vel eorum aliquod per quoscunque cujuscunque dignitatis status gradus vel conditionis fuerint molestari seu etiam impediri molestatores et impediens necnon contradictores quoslibet et rebelles auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam et alia juris remedia appellatione postposita compescendo non obstantibus omnibus supradictis aut si aliquibus communiter vel divisim ab apostolica sit sede indultum quod interdicti suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis approbationis communionis constitutionis et mandati infringere vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Rome apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo octuagesimo primo undecimo Kalendas Julii. Pontificatus nostri anno decimo.

Item, Segue se o linguajem desta bulla acima escripta que tal he:

Sixto bispo servo dos servos de Deos pera perpetua memoria da cousa.

Assentados per clemencia do Rei Eterno per a qual os reis terreaes reinam na mais alta seeda da See Apostolica como quem esta posto em algũa atalaia requeremos com mui limpos desejos o estado prosperidade folgança e tranquillidade de todos os reis catholicos sob a bemaventurada governança dos quaes os fleis christãos som manteudos em justiça e paz e dezejamos com gram fervor que antre elles seja continua dulçura della e a todo o que per os Papas de Roma nossos antecessores e per outras pessoas achamos que fosse feito com providencia pera o que dito he damos mui favoravelmente toda fortaleza de confirmação apostolica pera que fique pera sempre firme e estavel e sem corrupção e seja mui alongado de todo escrupulo de contençam. *Dias* ha foi trazido audiencia de Nicolaaõ Papa quinto nosso antecessor da louvada memoria que o infante dom Anrique de Portugall ja finado tio do nosso muito amado em Christo filho dom Afonso illustre rei de Portugall e dos Algarves querendo seguir os pasos de seu pai dom Joham da esclareecida memoria rei dos dictos reinos com zello da saude das almas e mui aceso per ardor da fe como catholico e verdadeiro cavaleiro de Jhesu Christo criador de todalas cousas mui duro e mui forte defensor e mui sem medo pelejador da sua santa fe fez devulgar alevantar e honrrar o gloriosso nome do meesso criador per toda a universa redondeza da terra e ainda nos lugares mui muito remotos e a nos nom conhecidos e bem asi com todas suas forças de mui pequena idade suspirou por fazer reduzir aa companhia da santa fe os mouros perfiossos inimigos da viva cruz per que fomos remidos e asi quaeesquer outros infiees despois que a cidade de Cepta constituida em Africa foi subjecta pollo dicto rei dom Joham a seu senhorio e despois de muitas cousas fectas per elle ifante em nome per o do dicto rei contra os dictos infiees inimigos da fe indo aas vezes em propria pesoa nom quebrantado nom espantado de mui grandes trabalhos e despesas nem de perigo e perda das cousas e das pesoas nem da morte de muitos seus naturaees mortos na guerra de tantos anos mas encendido cada dia mais no perseguimento de seu piadoso e louvado proposito poborou de christãos no mar Oceano algũas solitarias ilhas nas quaes fez fundar e alevantar igrejas e outros lugares piadosos nos quaes se celebram os officios divinos e ainda por industria e louvada obra do dicto ifante mui muitos poboradores e moradores de desvairadas ilhas que forom achadas no dicto mar viiindo a verdadeiro conhecimento de Deus receberom o sacramento de baptismo a louvor e gloria sua e saude de mui muitas almas e conservaçom da fe de Christo e acrecentamento do seu divino culto. E como em outro tempo veesse aa noticia do dicto ifante de nunca em tempo algũu ou ao menos que fosse em memorea d'omeens nom se acostumase navegar

